

26

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**M C L F S**

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

PRAE<sup>S</sup>IDE

**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFES-  
SORE PUBLICO ORDINARIO

DECANO H. T. SPECTATISSIMO

*Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo  
omni honoris cultu per aetatem prosequendo*

**PRO GRAD<sup>V</sup> DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. XVI. IVLII ANNO MDCCXLIX.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

**CAROL. LUDOVICVS IVSTVS LYSTHENIUS**  
BVRGENSIS MAGDEBVRGICVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS HENDELIANIS.





## PROOEMIVM.

**V**erterus nobilissimis sexus sequioris partibus iure meritoque adnumeratur, sed nihilo secius, alio eiusdem habitu respectu, sentina multorum malorum vocari potest. Tot enim tantisque, si functionibus suis non rite defungi potest, affliguntur mulieres calamitatibus, ut medicus ad easdem aegrotantes accersitus altero oculo praesentem morbum, altero autem vterum adspicere debeat. Non allegabo varias istas querelas, quas uteri caussa mulier profert; sed paucis tantum rerum in utero praeter naturam existentium mentionem facturus sum. Nihil dicam de monstris, quae in utero humano sui inueniunt primordia; nec referam vermium genus in utero produtum; neque etiam lapidum in eo generatorum mentionem faciam; neque quod ipsa uteri substantia varie praeternaturaliter, in ipsam adeo lapideam consistentiam, mutari possit, memorabo: sed paucis tantummodo circa *molicatum vteri concrementum* desistam. Quod quum paulo vberius describere mihi animus sit, T E S V M M E D E V S supplex veneror, velis hoc in negotio gratiae tuae spiritu adesse, & ausibus meis clementissime addere exoptatissimum finem.

A 2

§. I.



## §. I.

olae vocabulum Graecae originis est, derivatur enim ἀπὸ τῆς μωλῆς, quod lapidem molarem denotat, quocum frumenta leguminosa & semina Cerealia conterri solent. Proprio hoc significatu inter Latinos non raro usurpatur: improprie vero vario sensu apud medicos venit; sic per similitudinem αἱ μῶλαι dentes molares dicuntur, quoniam instar lapidis molaris cibos assumtos conterendo in minutissimas partes dividunt; nec desunt inter medicos, qui omnes dentes ipsasque maxillas hoc nomine insigniunt. Medicorum parens HIPPOCRATES libr. de locis in homine patellam scrotulam, os illud articulationi ossis femoris cum tibia superimpositum, molam vocat. Alii, si molae termino vtuntur, intelligunt vteri tumorem scirrhosum, alii inflammationem vteri, alii humorum & flatuum in vtero collectionem, alii excrescentias & sarcomata vteri, quae instar carnis luxuriantis ex ipso vtero laeso suos deducunt natales, & alii adhuc alia sub molae expressione volunt. Sed missis his omnibus scopum nostrum non fermentibus, indicandum est, quidnam nos speciali determinatione per molae vocabulum in nostra dissertatione intellectum velimus.

## §. II.

Mola est corpus structuae irregularis, semicarnosae, fungoso-vasculosae, vita animali priuatum, visceribus destitutum, in vtero a confuso muliebris naturae actu generationem legitimam aemulante prouenies. Germani-

manice dicitur: eine böse Frucht, ein Mond-Kind, ein  
Mond-Kalb, ein Mutter-Kalb.

## §. III.

Molis structuram irregularēm, semicarnosām, fun-  
goso-vasculosām inexistere §. anteced. declarauimus, quo-  
niām non solum textura ac fabrica admodum irregularis  
ac varia deprehendit, sed etiam ad certām aliquām fi-  
gurām referri non potest. Mox enim, teste FORESTO,  
durāe admodum sunt, quae multis ligamentosis, visci-  
dis, adeoque tenacib⁹ fibrarū striis compositae sunt,  
vt, quod mirum dictu⁹ est, ferro & cultrorum aciei non-  
nunquam resistant: mox vero molliores, palpabiliores,  
pluribusque vasculis intertextae existunt, quarum non-  
nullae in exteriori parte membranosa, inque media  
nullis fere fibris stipatae offenduntur. Nunc sunt plane  
informes, nunc rudem tantum exhibent formam, eam-  
que mox oblongam, mox rotundam, mox rhomboide-  
am, mox angularem; saepius quoque membra alicuius  
aut animalis figuram aemulantur. SCHENCKIVS molam  
vidit ab honesta matrona excretam ad similitudinem  
membrī virilis formataam, PLATERVS vidit stellae mari-  
nae, FORESTVS rostro accipitris, aliam gallinae cum  
rostro aquilae, aliam crystae galli cum rostro gallina-  
ceo, alias ranis & bufonibus, aliam cucumeri magno &  
rotundo, aliam castaneae & adhuc aliis figuris similes.  
HILDANVS molae mentionem facit ad figuram manus  
complicatae formatae. BARTHOLINVS descripsit acce-  
denter ad figuram cordis pericardio inclusi. LEMNIVS  
refert vrticae marinae non dissimilem, & SALMVTH al-  
legat molas mures atque scarabaeos cornutos figurantes.

A 3

Haec

Haec varietas molis varias tribuit denominationes, audiunt enim massa carnea informis & inutilis, moles & pondus vteri iners, irritus conceptus, massa vteri otiosa, & quae sunt huius farinae expressiones. FORESTVS testatur, quod barbari quidam medici barbaras quoque molis attribuerint denominationes, vocari enim a GORDONIO pecus vteri & frater LOMBARDORVM, quod LOMBARDIAE mulieres frequentius molarum generationi subiectae sint, harpyia, plinthus, & nescio quae alia monstrosa ipsis imponunt nomina. confer. G. W. WEDEL & GVERNERVS ROLFINCVS dissert. de mola conscriptis, & Excellentissimus noster ALBERTI, Praeceptor meus ad vrnas vsque deuenerandus, in Iurisprudentia medica, & alii in re medica periti viri, qui vnanimi fere ore variam, indigestam, irregulararem atque rudem structaram testantur.

## §. IV.

Qui cultro anatomico intimius molarum structuram perscrutati sunt, memoriae prodiderunt, quod visceribus omnibus destituantur: cui asserto omnes, quantum ego scio, eruditii subscribunt. Ast vero num omnes osseis rudimentis priuatae sint, adhuc sub lite versatur. FASCHIVS dissert. de mola anno 1684. Ienae habita, §. VI. scribit: Carneam aemulari substantiam molae conglobatam massam, praeter auctorum testimonia, ocularis probat inspectio, non obstantibus illis molis, quae ad modum sanguinis concreti membranaceo intugamento obvolutae compluribus sanguisflorum ramificationibus pro alimento instructae obseruatae sunt, SINE OSSIBVS TAMEN, VISCRIBVS ET NERVIS. FELIX PLATE-

RVS

RVS praxeos medic. tom. 3. libr. 2. c. 14. eiusdem est sententiae: *Mola*, inquit, aliquando reicitur, estque haec nunc informis, nihil certi exhibens, sed carnem saltim, quae mollis est, SINE OSSIBVS ET IN EA CONTENTIS VISCRIBVS, venis tamen refertam, & cu-te & membrana obductam, repraesentans. Hanc ossium viscerumque in molis absentiam adhuc varii summi viri testantur, interim tamen BARTHOLINVS cent. 4. obs. 84. molam caput oviuum cum dentibus ex maxilla prominentibus repraesentantem obseruauit, nostrique saeculi autopisia docuit, quod ossea quoque rudimenta molis innasci possint. Ipse equidem hanc osseam texturam non vidi, sed memini casus cuiusdam, quem Illustris Dn. PRAESES, Fautor meus omni obseruantiae & pietatis cultu a me deuenerandus, collegii clinici auditoribus in praeterito anno communicabat, ubi in mola virginis cuiusdam prae-ter dentes etiam frustula maxillae licet imperfectae satis- que confuse structae obseruata sunt.

Molam malto memorabiliorem Excellentissimus Dn. PRAESES paucis ab hinc diebus mihi communicauit, quam exactissime hic describam. Nouit Illustris VIR matronam quandam probam atque honoratiorem, matrem duorum liberorum, quadraginta circiter annos ha-bentem, quae, dum adhuc in viuis erat, non marito solam, verum etiam Illustri Dn. PROFESSORI & aliis me-dicis saepius indicauit, se in vtero concrementum quod-dam vitiosum gerere, ideoque postulare, ut post mor-tem sectioni exponeretur. Erat alias sana, nec multum de pathematibus exinde perceptis querebatur, id quod multis persuadebat, ac si huius matronae enunciationi

parum

parum fidei dandum sit, cuius tamen veritas postea satis superque manifestabatur. Nam maritus eius praesentibus fide dignissimis viris mortuam cultro anatomico appeari iussit, & reperiebatur molaticum corpus figura atque textura concham maiorem adeo exactissime referens, ut chelis illius ossis diffractis caro ostreorum generi in omnibus simillima cum admiratione videri posset.

## §. V.

Si de vita molarum, de qua pro & contra medici disputantur, nostrum addere debemus calculum, primo *QVALES* & *QVID* vel negent, vel affirment eruditii, deinde vero, quomodo comparari possint, videndum est. *FORESTVS* libr. 28. obs. medicinal. 62. in scholio allegat, quod quidam nomine *GARDVS* bis vel ter tale frustum carneum per horam & ultra vixisse viderit, se vero nunquam id obseruasse refert. *ABRAH. VATERVS* diff. de polypo ex utero egresso habita refert, quod cum aliis medicis etiam *ALMVTHVS* & *BARTHOLINVUS* eorum sint adscribendi numero, qui molis vitam concedant: cuius exemplar quum non in omnium manibus versetur, quae hac de re haber, verbotenus hoc loco allegabimus. *Quaedam ex molis*, inquit, p. 10., vitam babuisse historiae tradunt, quale exemplum habet *ALMVTHVS* cent. 3. obs. 98. ubi refert, praecipui cuiusdam ciuis *SERVESTANI* vxor anno 1621. post abortum masculinum & molam cui anserini magnitudine noctu adhuc aliam massam carnem excludit, quae palmam fere longa vixit, & oris lati figuram habuit, qualis est tynca, vel cyprinus pisces, absque tamen cauitate, ac praeterea etiam duo puncta nigra, ocellos referentia, monstrauit: quae in terram prolapso non modo

*de Molis.*

9

do palpitauit, & p̄scis instar se conuoluit, ad duas tresue horas se adbuic agitauit, tandemque vitam amisiit. Sed horrenda magis est historia, quam idem AVCTOR cent. i. obs. 62. narrat de muliere, quae loco foetus legitimis. mures enixa sit, ex utero mulieris intra manus obstetricis ex-silientes, in hypocausto hinc inde discurrentes, quorum 4. ab adstantibus occisi, quintum felis deuorauerit, quae inde rabida facta in puerperam prosligerit, extremum ipsi exitium minitans, donec interimeretur. Eiusdem fari-nae sunt, quae de mola volatili, cuem quadrupedem referente narrat BARTHOLINVS Act. Hafniens. tom. i. obs. 62. cuius Scleleton seruauit in museo ROSENCRANTZIVS, Praeses Regius Soranus, ibi delineatum. Familiaris dicitur haec mola in Belgio, vbi vulgo Suygers, quasi sanguisuga, foetui sugillando infesta, vocatur; & post foetum in partu prodire, atque cubiculi angulos peroulitando, mulieres inquietare, ac regressum in uteri latebras moliri, perhibetur, donec occidatur & comburatur, vti pluribus l. c. legi potest. Excellentissimus quoque ALBERTI l. c. p. 105. in notis ad J. C. cap. 5. sequentia exhibet. Ego ipse, inquit, aliquando obseruavi viuam molam, quae fuit grande frustum glanduloſo vasculoſum, pluribus roſtris anatinis praeditum. Atque sub finem huius capitii p. 120. illud ipsum exemplum accuratius describit, verba eius haec sunt: Generosi nobilis coniux 36. annorum sub labore ſo & periculoſo conatu exclusit fruſtum fungoſo-membra-noſo-vasculoſum, ſanguine turgidum, cum ſex roſtris anatinis perfecte conſtructis praeditum, quae roſtra etiam peculiari motu aperiente & iterum recludente ſeſe conficienda praebebant. Generofus maritus ob id valde afflictuſ,

B

an

*en non dilectissimae suae coniugi nefandum fascinum illatum fuerit, de singulis circumstantiis sollicite se certiorem reddere amittebatur, & postquam afflita coniux quantis per animi vires recuperauerat, ipsa subinde enarrabat, quod ante plures septimanas cum admiratione animaduerterit, quomodo famula domestica pecuariam faciens aliquando mane cobortem anatum e stabulo emiserit, qui cum multo strepitu & clamore, rostrorum suorum ridiculo motu inter se discurrerint, variasque lepidas agitationes & matutinas salutationes sibi inuicem praefliterint, qui admirandus visus adspexit huic partui ansam dedit. Ne vero longiores in enarratione similium historiarum existamus, hic subsistendum est, simul monentes, quod in contrariam quoque partem non pauci celeberrimorum medicorum has plane negent veritates, ex nulla alia ratione permoti, quam quod ipsi ex proprio visu admiranda & ex parte ridicula haec phaenomena neque experti fuerint, neque etiam cogitationibus suis fiendi modum assequi possint. Horum plures in medium producere possem, sufficiat autem exempli loco vnicum allegare ABRAH. VATERVM, qui l.c. p. n. omnia ista strenue negat. Nemo facile, inquit, bodie reperitur, praeter mulieres credulas & imperitum vulgum, qui talia credat, nec potius fabulis annumeret. Contingit quidem non raro, ut in mulieribus post partum editum, aut abortum passum, quidquam ex secundina in utero retineatur, quod vetero annexum ulterius nutritur, atque eiusdem compressione figuram monstrosum adipiscitur, & postea exclusum mulierculis & aliis superstitionis imponit, ut animal aestimetur. Videntia tamen animalia, praeter vermes, nisi prius irreperint,*

*pserint, ex utero prodire, nemo nisi simplicissimus, facile in-  
ducere poterit, ad credendum.*

## §. VI.

Hac vero ratione in labyrinthum, ex quo reditu  
praecludimur, peruenire videmur, si autores §. anteced.  
memoratos, omnes viros fide dignissimos, eruditissimos  
que de molarum viuentium existentia in utramque par-  
tem differentes contemplamur. Sed videmur tantum-  
modo: Congrua enim facta explicazione eruditii differ-  
entes facile inter se comparari atque in gratiam reduci  
possunt. Nam allegati rerum naturalium obseruatores  
vel tantummodo in vitae significatu a se inuicem rece-  
dunt, vel si de illo conueniant, molas & monstrra non sa-  
tis accurate distinguunt. Hoc ut clarius appareat, quid  
sint vira & monstrum, explicandum est. Vitam descri-  
bentes illam vel a rebus physicis vel a principio altioris  
indaginis deriuant; hinc distinctio inter vitam animalem  
& vitam corporis orta est. Vita corporis inuoluit hu-  
morum nutrientium circulationem, quae laesa morbum  
producit, & penitus sublate mortem infert. Vita vero  
animalis rationem sui sufficientem deber principio incor-  
poreo corpori tamen inexistenti, quod mediantibus va-  
riis moribus corruptibile corpus a corruptione defendit.  
Vita corporis non solum animalibus, verum etiam vege-  
tabilibus competit; hinc nonsolum homines & bruta, ve-  
rum etiam arbores, frutices, herbae, radices, fungi &c.  
viuere, aegrotare & mori dici possunt, pro eo ac nutri-  
entis laticis circulatio vel una serie continuat, vel inter-  
rupta laeditur, vel prorsus auffertur. Monstra varie ab  
autoribus describuntur, quae varietas quum ad nostrum

scopum non faciat, nec dissertationis limites permittant, ut locupletiorem monstrorum historiam, diuisionem & subdivisionem describamus, breibus tantum, quid nos sub monstro velimus, dicemus. Monstrum vero nobis vocatur omnis partus animalis, visceribus quidem gaudens, sed structura sui, quoad externa, a recta & essentiali figura declinans.

## §. VII.

Quando igitur ex nonnullorum probatissimorum virorum effatu nonnunquam molae viuentes depraedantur, id de vita animali minime interpretandum est, quis enim dicere vellet, haec corpora anima sive spiritu praedita esse? sed id vitam corporis concernit, hac tamen cum limitatione, ut illa ipsa enunciatio de molis viuentibus in utero tantummodo locum habeat, in quo humore qualicunque nutriuntur, quando vero extra uterum existant, earum vita vel unica vice destruatur, vel ad summum paucas tantummodo horulas vitae quoddam simile prodat. Res vero ita se habet: molae cum utero secundinarum instar cohaerent, ita quidem, ut ex hoc in molam, & ex hac in uterum vasa sanguifera nutrientem humorē & aduehant & reuehant; in auulis autem ab utero ille humorum circuitus non continuat, sed plenarie tollitur, mortemque molis infert. Quando autem casu contingit, ut vasa nonnulla per multas ambages atque longos anfractus molarum corpora transeant, non statim circuitus humorum tollitur, sed perdurat adhuc aliquantis per: hinc euenit, ut accedente residuo adhuc uteri calore, qui non permittit, ut sanguis unica vice coaguletur, aliquod vitae simile in natu iam iam obseruetur molis.

Ex

Ex his patet, quare non ultra 2-3ue horulas haec vita perduret, illarum enim structura non ita comparata est, ut in iisdem legitimus humorum circuitus existat. Similis vitam in aliis animalium partibus ex totius cohaesione separatis offendimus, sicuti videre est in anguilla, quae licet in 6-8. diuidatur partes, omnes tamen per unam alteramue horam variis motibus vitae simile produunt. Cum his coincidunt serpentium genus, lumbrici terrestres, & alia animalia: ipsis adeo araneis, quae longioribus pedibus gaudent, si pedes omnes auellas, singulus pes per aliquod interuallum spastica sui motitatione intuentibus vitam quasi imponit. Quando autem a quibusdam perhibetur, quod molae ultra 2-3ue horas viuae extiterint, illis hodie nemo facile applaudet, nisi quidem 1) aut molam & monstrum esse unum idemque concedere voluerit; huius enim structura concedit, ut genuina vita frui possit, neque hoc abullo, quantum equidem scio, in dubium vocatur. Atque huc referri meretur BARTHOLINI auis quadrupes, ex qua postea skeleton praeparatum est: 2) aut qualemcumque motum spurium ab extra productum tanquam vitae genuinae signum accipere velit. Hoc autem interdum contingere comprobat IO. HADR. SCHLEVOIGT, in prooemio quodam de molae vita edito. Tremunt, inquit, saepius molae, ut gelatinæ solent, quando copioso aeri in spongioso corpore stabulanti per superficie poros a frigida atmosphaera clausos exitus negatur, inque terram prolapsæ non aliter ac spongia aut vesica flatu turgida resilunt, huc & illuc voluantur. Vidi mus talem massam suo motu tremulo ac acuto sibilo mulieres adeo terrentem, ut a malo genio per beneficium eam obsecsam crederent, donec

*a nobis per medium dissecta foetidissimum vaporem cum strepitu eructaret, manifestumque patrescentis θεραπεύει efflum ederet, motuque penitus priuata obmutesceret.*

§. VIII.

Brevibus adhuc restat tertium § secundi momentum pertractandi, docens, molarum formationem dependere ab obscuro animae maternae actu legitimam aemulante generationem. Quod utrū omnibus eo facilius percipiatur, caussae molis struendis occasionem praebentes antea lustrandae veniunt. Ad has nonnulli, tanquam caussam primariam, foeminae maritatae auidum atque voluptuosum coeundi desiderium sine mari aut seminis foecundi accessu, quo praexistente a variis rursus accidentalibus caussis molis sustentaculum praeparatur, pertinere autumant, quoniam vero etiam castissimae virgines, viduae atque coniuges molis laborare solent, illi sententiae non adeo rigorose inhaerere volumus. Potiori iure accusatur irregularis mensum vel imminutus vel iusto largior fluxus; uterque enim utero vitiosus ad molarum productionem calculum suum addere potest, hac quidem ratione; si sanguinis pars coagulata utero, cuius orificio spastica contractione saepius clauditur, glutinis instar fesse apponit, ibidemque ad pugni magnitudinem, immo nonnunquam maioris voluminis corpus excrescit. Deque hac molae specie annotari meretur, quod calida aqua diutius macerata plenarie fere rursus destrui, atque in sanguinis fluidi consistentiam reduci possit. Secundo hoc referri meretur, quando in foemellis ex ovario maturorum ouulum secedit, per TVBAM FALLOPIANAM ad uteri defertur cavitatem, ibique ope subtilioris mucilaginis (ex qua in

in legitimo partu placenta exstrui soler) vteri substantiae sese apponit, ex qua per succrescentia vasā deinde nutritur. Haec molarum genesis in omnibus sexus sequioris personis, siue sint maritatae, siue virgines, siue viduae locum inuenit. Exstant vero adhuc aliae caussae tantum in maritatis locum habentes. Interdum ex iusto coitu mola generatur, quando scilicet ouulum cum principio formante foecundatum est, postea vero iterum ab eodem deseritur, vt exinde fatua fiat conceptio. Contribuunt quoque ad earum productionem difficiles partus, praecipue quando secundinae aliqua portio, aut sanguinis coagulati frustum in utero remanent, quae facta sanguinis ulteriore congestionē in molae corpus excrescunt. His praesuppositis facile pater, solam matris animam huius actus existere caussam efficientem, quoniam non solum imaginatio matris ad molarum configurationem multa contribuit, verum etiam in partu legitimo ouulum ad uterum desert, ibidemque placentae, ad cuius indolem molae exstruuntur, fundamenta ponit, verum etiam aliud quoddam struens principium non adest, nisi quidem ex placitis veterum malo & quasi virulento seminis masculini vitio, cum quo spiritus animalis communicari fertur, locum concedere volueris; cui tamen asserto, quum tantummodo hypotheticis nitatur rationibus, nosque malitiam seminis masculini non videamus, nec ad omnes, praecipue ad virgines, accedere possit, nos non subscribere possumus. Reliquas vulgares opiniones, quibus accusantur vitiosus, scorbuticus, cacockymicus vel etiam venereus sanguis, quando scilicet cum semine virili misceatur; vel etiam ex HILDANI sententia solum virile semen exu-

rens,

rens, nimis acre, falsum ac virtiosum; nec non AVICENNAE vehementia caliditatis, qua sanguis coquatur, eique quasi carnis induatur forma, floccipendendo silentio prae-  
termittimus.

## §. IX.

Molae in foemina praesentis gestatio diiudicatu non adeo facilis est, hinc medicum oportet, ut singulari cum attentione & exactissimo iudicio exactam omnium signorum seriem aequa rationis trutina examinet, quibus a vero foetu aliquis vteri expansionibus discerni possunt, nisi cum artis & famae suea indelebili periculo sibi illudi concedere voluerit. Hoc nos euitaturi operam dabimus, ut de meliori conceptionis falsae indicia exhibeamus. Ante omnia 1) a vera ingrauidatione mola bene distingueda est, habet enim cum illa, praecipue in tribus quatuorue prioribus mensibus, varia communia v. gr. a) refitatem mensium fluxum, b) occlusionem oris vteri c) eleuamen abdominis generaliter sumtam d) tumorem mammarum e) varias vere grauidis consuetas afflictiones, quales sunt capitis dentiumque dolores, ophthalmiae, oculorum caligines, nausea, vomitus, appetitus vel deiectus, vel si adest, rebus minus consuetis dicatus. His praemissis, videndum est, quibus a vera distingui possit impregnatio ne signis, sunt haec varia v. gr. a) aequalis ad omnia latera expansio abdominis; mulieribus enim vere praegnantiibus, venter versus vmbilicum gibbosior attollitur, & versus latera molliter vtrimeque coarctatur, in mola autem aequaliter intumescit, longeque durior est tactu, & cum intensiore grauitatis sensu, quam verus foetus, in vtero percipitur. b) Embryo vbi ad medium gestationis tempus

tempus peruenit, se ipsum partesque sui mouet: mola vero otiose quiescit, nisi quidem sensum molestum, quem ex grauatiuo pondere persentiscit mulier, aut facultatem hinc & illinc decidendi, quae tamē magis accidentario contingunt, si scilicet foemina ab uno ad alterum sese inclinet latus, vel manu vteri hospitem contrectet, promoto venditare placuerit. Praeterea voluntario gaudet embryo motu, mola vero non nisi ponderositate sua insigne cum maxima mulieris molestia sensationem producit. c) Lactis quoque defectus, mammis licet turgentibus, molatrici corporis praesentiam, si reliqua conspicient signa, indicat. Recedit quoque mola d) ab ordinario gestationis tempore; partus enim legitimus IX. menses, nec infra nec ultra, in vtero hospitatur; nisi quidem ex morbo vel proprio vel genericis coactus terminum hunc vel anticipando vel extendendo transgrediarur. Mola vero, quae vtero non sicuti gratus arbori fructus adhaeret, nec statim tempore gratae instar messis decidit, longe aliter sese habet, & veluti fungus firmiter vtero adglutinatur, nec nisi summa vi matrem inutili suo pondere liberandam minitur. Hinc saepius per XII. menses immo plures annos gestatur, vplurimum vero circa mensis tertii finem eiicitur. e) Neque mensium fluxus pleunarie, sicuti in vere grauidis, cessat, sed singulis fere mensibus iusto menstruo tempore, quamquam insufficienter, & cum guttulis quibusdam, modo sanguineis, modo serosis, loturam carnis referentibus, sese manifestat. Nec desunt obseruationes, vbi natura singulis fere lunae phasibus sub insolitis aut colicis, aut parturientium non absimilibus doloribus per largam vteri haemorrhagiam in-

C

gratum

gratum sui hospitem remouere conata fuit. Accedit ad-huc, quod conceptio vera v̄ plurimum menstruis pro-priis ordinate fluentibus fiat, mola vero nunquam. f) Praeterea afflictiones longe vehementius molatricas fo-e-minas macerant, quam quidem vere grauidis accidit. Il-lae enim sunt omni fere tempore animo fastidioso, cor-pore languent, colore pallent, viribus & appetitu defici-unt, vnde tales foeminae vel parum comedunt, vel si quid assumunt, perferre non possunt, & post pastum laborant ructibus, cardialgia angustatoria, & difficultate respiran-di, intercurrunt variae abdominis turbae, intestinorum flatulentiae, commotiones pressoriae, tensoriae, grauatiuae, recurrentes circa reliquum systema V. P. alius red-ditur inconstans & inordinata, vrinae vitiis iusto ve-he-mentius vexantur, mox enim incontinentia, mox stillici-dio, mox plenaria suppressione laborant, vrina ipsa est aliquando iusto pallidior, cruda & turbida, aliquando cum flocculis & filamentis referata, quod indicium est turbati negotii secerorii, succedente tempore oriuntur status ca-checticus, oedematosus, hydropicus, strangulationes vte-rinae, tandem hectica & non raro mors, & talia sympto-mata molis superuenient, quando p̄aeprimis diu gestan-tur. 2) Differt porro mola ab hydrope vteri, in hac enim tumor ad digitorum compressionem & pulsationem ce-dit, & fluctuatio percipitur, praecipue quando foeminae supinae mouentur, tunc enim sonitus cum murmure ex a-quarum volutatione auditur. 3) Discedit quoque longe ab vteri tumore flatuoſo, qui, Graecis εμπνευματωσις της μητρας dictus, per grauiratis defectum optime dispescitur, accedit huic, quod in hoc aequa ac in hydrope vteri tu-mor

mor non omni tempore aequalis appareat, sed mox au-  
geatur, mox imminuat, raro totus destruatur. Mola  
vero tumore indies aucto, nec vnquam decrecente, sese  
manifestat. 4) Omnium vero difficillime distinguitur a  
sarcomatibus, siue polypolis excrescentiis vteri, ex ipsius  
matricis laefione oriundis, quatenus intra vterum rema-  
nent: non solum enim vteri substantiam mole sua aggra-  
uant, & aequali ad omnia latera extensione molestant, ve-  
rum etiam reliqua molas concomitantia symptomata se-  
cum trahunt; quamquam ex antecedente immiedicabili  
fluore albo, & longiori materiae ichoroso-saniosae fluxu  
genitalia stimulante, arrodente & ulcerascente verruco-  
sum potius sarcoma, quam mola, colligendum sit. In-  
terim tamen nullibi in salutem aegrotantium peccamus,  
quando molam, vbi sarcoma in culpa est, praedicimus, &  
vice versa sarcoma, vbi mola peccat, accusamus: pari e-  
nim passu fere ambulant, eandem prognosin formant,  
eandernque medendi methodum, praeterquam quod sar-  
coma vel excindi vel deligari debeat, exposcunt. Non  
dicam quod sarcomata & molae saepius vna eademque  
structura gaudeant, quapropter molis sarcomata tanquam  
species a multis medicis adnumerantur. 5) A reliquis  
imi ventris eleuationibus, v. gr. quae ex solitarii mensi-  
um suppressione, hydrope vniuersali, vel etiam inflam-  
matione vteri & similibus caussis originem ducunt, mola  
facile discerni potest.

## §. X.

*Prognosis* facilis quidem sed periculi plenissima est,  
mortem enim molae sexui sequiori inducunt: Id quod  
cum limitatione quadam venerandus **HIPPOCRATES** libro

*de morbis mulierum & iterato de sterilibus affirmat.* Si una caro, inquit, nascitur, mulier perit, neque etiam fieri potest, ut superstes maneat; si vero plures, erumpit ipsi per pudendum sanguis carnosus plurimus, & si hoc moderate fit, seruatur; sin minus a fluxu correpta perit. Sententia eius haec est, vnica mola, praecipue quando longius in vtero perdurat, ad maiorem euehitur magnitudinem, quam si plures simul vterum occupant. Illa vnica cum substantiae suae maxima parte vtero tenaciter cohaeret, hinc vel non, vel non sine ingente difficultate & cohaerionis dilaceratione auelli atque excludi potest. Hanc sequitur larga vteri haemorrhagia raro compescientibus fistenda, hinc vt plurimum exitiosa: quando autem fistibus medicamentis auscultat, vteri relictâ laesio somitem praebet futuro fluori albo & ulceribus vteri cancroideis, ex quibus §.IX. allegata vteri sarcomata suos inueniunt natales. Crebrius etiam sese associat hydrops vteri flatulenta, quae cum oedematosam & cacheticam tori corpori inducat labem, reliqua etiam viscera facile corripuntur, vt exinde succedente tempore nil nisi hecita & mors euenire possint. Quando vero plures simul vterum occupant, minoris sunt extensionis, neque cum tantis vasis vterinis connectuntur, hinc eo facilius ab vtero excorticari atque excludi possunt, haemorrhagia facilius fistitur, & pars affecta cicatrisationi liberius locum concepit. Saepius etiam contingere solet, vt foerui sese afficit mola, tunc status adhuc periculosior existit, praecipue, quando sub partus laboribus foerum antecedit, si vero sequitur tolerabilior existit: pessimum vero est signum, quando post editum foerum mola in vtero praesens nec arte

arte nec manuali operatione, propter nimiam eius cohae-  
sionem cum vtero, auferri potest. Id quod Excell. Dn.  
Professör BÖHMERVS, vir in arte obstetricandi exercitatis-  
simus, variis annotauit obseruationibus, quarum nouissi-  
mam hic apponere B. L. non displicebit. Duobus ab hinc  
annis mulieris partu difficult laborantis foetum iam mor-  
tuum, recte quidem in vtero obliquo nimium propen-  
dente positum, ob defectum vero motuum, qui nullis ex-  
citari poterant remedii, caputque ossibus pubis clavi ad  
instar infixum, breui temporis spatio ope forcipis Angli-  
canae eduxit. Quo finito labore quum manu sua vteri  
latebras introiuisset, vt placentam praeternaturaliter ad-  
haerentem cum restitutis grumis sanguineis educeret,  
animaduertit molam, 7-8. librarum, membrana firmiori  
obductam, adeoque tenaciter cum vtero cohaerentem, vt  
excorticationi nullus relinqueretur locus. Instrumenta  
secantia iure meritoque abhorruit, non solum, quod vires  
prostratae erant, & haemorrhagia lethalis praeuidebatur,  
verum etiam concrementi huius radices cultri acie tam  
stirpitus excisci non possent, vt restitans nulla maneret  
pars novo concremento nouam függerens occasionem.  
Vnde factum est, vt puerpera moribus febrilibus corripe-  
retur, quibus appropriata quidem offerebantur remedii,  
sed quia hostis medicamentorum utilitatem & solertia  
naturae intentionem superabat, die decimo a partu pur-  
pura alba succubuit. Interim tamen etiam hic valet ille  
canon, secundum quem nulla regula sine exceptione re-  
peritur, nam optima teste experientia saepius sanitatem  
recuperant, quae vnica & praegrandi mola laborarunt, &  
& contrario, quae pluribus simul afflictæ fuerunt, succum-

bunt. FORESTVS, FELIX PLATERVS, SENNERTVS cre-  
brioribus id exemplis demonstrant. Ipse met noui vxo-  
rem cuiusdam huius vrbis, quae duobus ab hinc an-  
nis ex molae maioris exclusione sub initium enormi haem-  
orrhagia ad summam vsque virium deperditionem pe-  
riclitabatur, die 4to post exclusionem affligebat febre  
acuta cum purpura mixta, sub qua haemorrhagia non so-  
lum, verum etiam hanc excipiens excretio materiae se-  
roso-ichorosae de die in diem imminuebatur, & tandem  
post trium hebdomadum decursum sub blandissimorum  
medicamentorum vsu, quae *Excell. DN. PRAESIDIS iussu*  
aegrotanti exhibebam, conualuit, & adhuc hodie, pre-  
terquam quod hystericis quibusdam pathematibus subin-  
de corripitur, valet. Admonet hoc medicum, ne statim  
de aegrotantis salute desperet, quando periculum pre-  
sens agnoscit; male enim agit, si grauiter decumbenti-  
bus nullum auxilium superesse dictitat, & turpe est, si eos  
plane deserit. Nec leues nomini suo inurit maculas, si  
inimatura prognosi empyricis occasionem praebet, id sae-  
pius cum laude ad finem perducendi, quod ipse rationa-  
lis medicus ex timore & animi sui imbecillitate suscipere  
dubitauit.

### §. XI.

Iam ordo iubet, vt serio dispiciatur, quibus artis sa-  
lutaris remediis effici Deo benedicente possit, vt praesen-  
tium molarum grauatiuum pondus tuto tollatur, simul  
praecaudo, ne redeunti hosti de nouo sustentaculum  
praebetur. His satisfacturus ad duo potissimum mo-  
menta animum dirigat, necesse est: ad illa scilicet, quae  
1) omittere & quae 2) facere debet. Ante omnia vero ne  
prae-

praecipiti, nimium festinante & heroica methodo vtatur, caueat, hic enim de vita aegrotantium agitur. Fugiat omnia, quae sanguinem nimis commouendo impetuofam inuitant excretionem, exulent drafstica purgantia, fortiora emetica & minus fida sudorifera: neque etiam famosis calidis emmenagogis plurima ex parte volatilibus, neque omnibus muliebria externe stimulantibus locus concedi potest: tandem nec vbiuiis operationi chirurgicae & indiscretiae V. Sni venia danda est. Qua de re eiusmodi ingredienda via, qua minus periculoſe, aequa tamen feliciter ad praefixum peruenire licet scopum. Curae autem cordique habeat medicus, 1) vt omnia ex medio tollat, quae vteriori molarum nutrimento & augmento auxiliatrices porrigunt manus. 2) Ut vterum a periculoſo suo hospite, quantum sub tuta medela fieri potest, excretione per muliebria liberet 3) ut accidentibus aliis morbis v. gr. haemorrhagiae excedenti, inflammationi vteri, motibus febrilibus &c. congrua curatione obuiam eatur, & denique 4) ut redeunti boſti, quam naturae nil sit frequentius, quam tritam senil viam recurrere, omne praeſcindatur pabulum.

## §. XII.

Primae indicationis cardo in eo vertitur, vt a) quaeſcumque plethora V. Sni, si opus fuerit, reiterata, immunitatur b) potiores ſe- & excretiones ſecure promoueantur, illis quidem remedii, quae a) aluum diutius blande tamen laxant, b) ſuppreſſum mensium fluxum moderate inuitant, c) ſerum, ex parte halitusom, ex parte vero vifeſidum, per diuresin & transpirationem euacuant. Instar omnium commendari merentur infusa per epicrasin laxantia, quae ex vacuantibus, resoluentibus, incidentibus & aperientibus

bus componuntur. Eiusmodi praescriptionis formula haec esse potest. Rec. Rad. Gentian. r. Vincetox. Bryon. Pimpin. alb. Ireos Flor. Rhabarb. opt. Polypod. fibr. Hellebor. nigr. ana vnc. dimid. Cort. Aurant. recent. vnc. j. fol. S. S. St. Summit. Centaur. minor. ana drachm. ij. Caryophyl. arom. drachm. iij. Sal. tart. vnc. j. m. f. spec. cum 2. Mens. vini infunduae, stent in digestione per triduum, cuius colatura octaua pars circa alterum diem summo mane hauriatur. Pauperibus, quibus hoc remedium nimis pretiosum videtur, seq. eiusdem valoris ordinari potest. Rec. Rad. Polypod. Bardan. ana vnc. j. Liquirit. drachm. vj. fol. S. S. St. Sem. caru. ana drachm. ij. m. f. spec. theeformes, de quibus quoquis die summo mane pugil. ij. cum tertia Mens. aquae parte leniter coqui & colatura calide ebibi possunt. Conferunt etiam salia media, digestiu crebrius & repetito usurpata; quae minoribus praecipue dosibus propinata leni suo stimulo non solum crassiores sordes per lubricam aluum eliciunt, & serofas impuritates per diurefin eliminant, verum etiam emmenagogico scopo inferiunt v. gr. seq. formula exhiberi potest. Rec. Tartari vitriolati, Arcan. dupl. ana drachm. ij. Nitri depur. drachm. j. m. f. pulu. diu. in vj. part. aeq. quarum altera ante meridiem hor. x, altera post meridiem hor. IV, & tercia hor. vi porrigi licet. Salia haec citiorem edunt effectum, quando illis associantur genuinae pil. BECCHERI, STAHLII, vel quae hic Halae ex correctione Excell. Dn. PRAESIDIS sub nomine Pil. balsamicarum constant, praecipue si per aliquot dies repetito cubitum ituris propinuantur. His & eiusmodi remediis quando corpus praeparatum est, V.S. larga in pede reiterari potest, vt hac ratione

tione omne afferatur, quod vltiori nutrimento inferuit.

## §. XIII.

*Alteri indicationi iubenti, vt periculosis vteri hospes excretione per muliebria tuto remoueatur, ex parte iam satisfaciunt remedia sub prima indicatione descripta: commemorant autem practici adhuc varia adminicula, quibus vterus speciatim a gestatione eiusmodi finistrorum concrementorum auocatur. Huc referri merentur balnea calida ad genua vsque exporrecta, quae a nonnullis ad vmbilici vsque regionem instituenda iubentur. Parantur vero vel ex sola aqua dulci, vel si cum hac sacculus ex radicibus & herbis resoluentibus decoquitur. v.gr. Rec. Rad. Alth. Malu. Bryon. ana vnc. iij. flor. Chamom. vulg. Herb. Artemis. r. Menth. crisp. ana M. iv. m. f. spec. pro sacculo ad balneum. Sacculus hic posteaquam c. f. q. aquae decoctus est, infimo abdomini in balneo sedentis foeminae imponitur, eo fine, vt vi caloris non solum motus in partibus vterinis excitetur, verum etiam humiditate concrementi vterini adhaesio disiungatur. Pariter quoque pessorum vterinorum, suffiruum ex calomo aromatico, cinnamomo, &c. instituendorum aequa ac variorum linimentorum ac vnguentorum mentionem faciunt auctores, quoniam vero ex parte a paucissimis admittuntur, & supra recensitis remedii necessaria efficere licet, illis facile supersedere possumus. Quando autem eo vsque foemina peruenit, vt mola sui excretionem intendat, ab obsterice, sicuti vera parturiens tractanda est; & mola, quamprimum sele ostendit, digitornm apicibus, vel simaior fuerit, vncis corpori eius infixis, ad vltiorem excretionem promouenda est. Quando autem ob-*

D luminis

luminis extensionem egredi nequit, frustulatum disrupta educi debet. Hac occasione quaestio mouetur, an operationi chirurgicae, qua cultro incurvato molas ex utero secant, locus concedi possit? ad hanc sequenti modo respondemus. Quando os uteri apertum est, & aegrotans sub parturientium doloribus magnam iamiam est perpessa uter haemorrhagiam, ut exinde mors extimescenda sit, manuali operatione illi subueniendum est, non tamen secantibus aut dilacerantibus instrumentis, sed sola manum aut potius digitorum dexteritate, eum fere in modum, quo secundinas praeternaturaliter adhaerentes ab utero separamus, molae corpus excorticandum est: quando autem adeo firmiter cum utero concretum est, ut separari excorticatione non possit, intacta potius naturae relinquenda est, quam cultrorum acie excindenda; quia non solum est operatio periculi plenissima, verum eriam omni tempore, licet dexterimus sit operator, frustula quaedam remanent cum utero cohaerentia, de novo molarum genesi somitem praebentia; rachebo, quod medico omnis culpa tribueretur, quando patiens ex ineuitabili haemorrhagia sub operatione animam efflaret.

§. XIV.

*Tertia indicatio variis morbis molae exclusionem concomitantibus & sequentibus prospicit, inter quos haemorrhagia uteri proximum locum occupat. Quae, si sub molae exclusione contingit, non aliter, quam promouendo eius exitum sistitur: quando autem illa sublata adhuc continuat, non statim & unica vice supprimi debet; nam vel restitanti uteri vitio abstergendo destinata est, vel contingit ex virium imbecillitate, ob quam uterus contrahit nequit.*

nequit. Hinc abstinendum ab omni fortiorum adstringentium vsu, qualia crudum vitrioli genus aliaque austera remedia suppeditant; sed potius sub blandissimorum temperantium, sedatiuorum & securorum tonicorum vsu compescenda est. Pilulae supra laudatae ad scrup. j. in aqua cerasorum nigrorum, vel alia simili, solutae optimum exhibent effectum, praecipue quando restitans vteri vitium in culpa est. In altero casu conueniunt pulueres ex nitro, zinnabari, cascarilla, lumbricis terrestribus &c. parati v. gr. seq. exhiberi possunt. Rec. spec. de Gemm. Lumbric. terrestr. ana drach. dimid. Coral. r. pt. Nitr. depur. ana scrup. j. Zinnabr. fact. opt. gr. xv. Croc. Mart. aperitiu. St. gr. xij. m. f. pulu. diu. in vj. part. aeq. d. ad ch. sign. Puls. ver wovon alle 2 Stunden eines zu nehmen. Analeptici loco vel optime praeparata emulsio porrigi potest, vel coquleatim seq. potio. Rec. Aquar. Ceras. nigr. Fragor. Rub. idaei. Cinnamom. s. V. ana vnc. semis, Ess. dulcis concentr. drachm. j. m. d. ad vitrum. Neque spernendus est ligaturae vsus medicus, vbi digiti manuum filo sericeo vel alio quoquam vinculo ad doloris usque sensationem ligantur, talique ratione constrictio in vterinis partibus causatur. LENTILIVS tantillum N. M. cum vitello oui subactum commendat, alii epithemata tonica & confortantia, v. gr. ex crusta panis cum spiritu matricali vel balsamo viuae inuncta, & regioni hypogastricae imponenda laudant. Quando vero e contraria parte vterina purgatio unica vice sufficit, vt exinde aliae priori malo haud inferiores afflitiones originem ducant, illa pariter ac lochiorum suppressione referanda est. Oritur autem vel ex sola spissitudine sanguinis, vel cum hac ex actuali circa vterum con-

tingente strictura; quare illa attenuanda, haec autem relaxanda est, ut excernendo sanguini eo liberior pateat via. Vtramque paginam absoluunt clystres emolientes, pulueres nitroso-zinnabarini, & fomentationes siccae regioni hypogastricae calide applicatae, his vero sine admiculo adhibitis V. S. larga in pede institui, & pilulae supra laudatae coniungi possunt: his etiam pediluua & frictiones pedum maritare licet. *Pernitiosa vteri inflammatio* induci potest, quando foemellae ante, sub, vel post molae exclusionem vehementiori commotione corripuntur: praecipue vero quando ante concrementi sui partum, licet plethoricae exsisterint, V. S. non admiserunt, neque etiam postea sub contingente simultanea haemorrhagiae vterinae suppressione illam institui curarunt, aut notabilis vteri lachio, vel ex molae separatione, vel ex alia violentia, praecessit. Dirus hic hostis rarissime medicamentis auctoratur, quoniam vero tamdiu, ac spiramus, sperandum est, eo medicus dirigat attentionem, ut caussas occasioales ex medio tollat, ipsumque inflammationis negotium in- & externe discutiat. Quando itaque vehementis animi commotio ansam praebuit, admonenda est patiens, ut defistat ab eadem; quando autem sanguinis excernendi suppressio in culpa est, illa, sicuti paulo antea docuimus, referanda venit; & denique si plethorae vitium adsit, illud V. S. larga auferatur. Ipsa vero inflammatio discutitur regimine non adeo calido, medicamentis temperantibus, resoluentibus & diaphoreticis. Conferunt hunc in finem Eff. temperatae v. gr. Rec. Eff. Caryophyllat. Scordii, Vincetox. ana drachm. j. m. d. S. Essentia, cuius xx guttulae singulis duabus horis sumenda. Interponi

poni huic Essentiae possunt pulueres temperantes, vel potio seq. Rec. Aquar. Scord. C. M. Cerasor. nigr. C. C. cirr. ana vnc. j. Conch. citr. Matr. perlar. pt. Antimon. diaphor. Nitr. depur. ana scrup. ij. Sacchar. perlar. drachm. j. m. d. ad vitrum sign. Tränckchen, wovon alle Stunden ein Eßlöffel voll zu nehmen. Neque etiam laude sua defraudantur clysteres emollientes, discutientes, non tamen stimulantes v. gr. seq. iterato applicari potest. Rec. dcti auenac. vnc. vj. oleor. lini, charnom. coct. ana vnc. j. m. f. clysm. Reliquis symptomatibus, v. gr. spasmis, congestionibus versus caput aut aliam partem, moribus febrilibus, &c. apropriatis remediis quisque facile medicus succurrere potest, hinc breuiratis studiosi illarum non facimus vltiorem mentionem.

## §. XV.

*Quarta indicatio iubet, ut vltiorem molarum regenerationem impediamus, id quod impetratur, quando illarum caussas ex medio tollimus. Quemadmodum vero haec diuersae existunt, sic illarum iterata genesis varia quoque ratione praecaetur. Adeoque, si menstruae purgationis vitium molis antea ansam praebuit, illa in ordinem reducenda est: cuulorum maturorum ex ovario ad uterum secessio sine virili accidente semine virginibus ac viuis matrimonium commendat: placentae relicta frustula; ut cum parturientibus caute & prudenter procedamus, monent; & sic porro ex aliis caussis aliae oriuntur regulae, a quopiam medico pro subiecti & circumstantiarum diuersitate facile formanda. Nihil itaque magis superest, quam vt Tibi, T. O. M. Deus, humillimas agam gratias, quod ex larga Tua beneficentia etiam huic labori placuerit vires suppeditare, eudemque ad felicem perducere*

**F I N E M.**

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER,  
MEDICINAE ET ANATOMIAE PROF. PVBL. ORDIN.  
NEC NON ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOS. SODALIS.

*Quum te per tres annos, & quod excurrit, assiduum semper & indefessum habuerim auditorem, perpetuamque aliis prompte inseruendi voluntatem satis cognouerim: non potui non de studiorum TVORVM exoptato exitu confidere. Confirmasti spem meam praesente inaugurali disputatione, qua specimen edis solidae praxeos medicac & chirurgicac. Quae enim in foro medico-chirurgico saepissime occurunt molae, adcuratum omnino merentur scrutinium, probe que a se inuicem distinguenda sunt. Evidem omnes in duas species veras nimirum & nothas diuidi posse, tecum iudico. Verae praegnantes supponunt ouula ex coitu virili foecunda, & vel secundo tertioe mense quasi per abortum utero excreta, vel ab interrupta nutritione, foetu mortuo, ultra terminum ingrauidationis adhuc aucta: non praegnantes autem ouua tantum indicant subuentanea, quounque ex fature veneris stimulo in uterum delapsa, ibidemque diuersimode mutata. Verum alia est spuriarum indoles atque natura, quam genus definitionis non habeant, sed vel concrementa referant vasculo-membranacea, a portionibus placenta*

centae relictis originem ducentia, vel obseruante RUVYSCHO  
placentae uterinae in hydatides degenerationem, vel sanguini-  
nem coagulatum propriis inclusum membranis, vel tumores  
cyticos in utero vaginaque natos, vel denum ipsa uteri sar-  
comata, quarum specierum observationes, missis nugis anili-  
bus, laudatus Vir tam in Thesauris quam Observationibus  
anatomicis collegit quamplurimas. Proinde non possum  
non, quin TVVM, CANDIDATE DOCTISSIME, conatum  
laudem atque approbem, quo in utilissimo argumento vires  
ingenii exercere annis es. Praeprimis autem TIBI spe-  
cimen hoc, eo animo, quo te semper amplexus sum, id est  
candido gratulor. Gratulor quoque singularis industriae  
laude confectum curriculum academicum, honoresque in arte  
saluturi summos mox TIBI a gratiose ordine medico conse-  
rendos, Deumque precor, ut & in posterum laboribus & co-  
natibus TVIS adsit, quo hominum societati luculento fructu  
inseruire possis quam diutissime. Vale Halae Magdeb.

d. XVI. Jul. cccccc XLIX.

---

Werwegen suchst Du, Freund! aus bösen Früchten  
Dir ein belorb't Denkmal zu errichten:  
Da die Natur doch, wenn sie solche bauet,  
Sich selbst nicht traut.

Aus Irrthum sorghast und aus Vorsicht irrend  
Wird ihre ganze Bildungskraft verwirrend:  
Alles dis kanst Du selbst in dunkeln Gründen  
Durchschauend finden.


Freund!

Freund! solche Einsicht wirkt Dein gründlich Wissen,  
Dem Wahns und Irrthum schnell entfliehen müssen:  
Wenn andre Aerzte in des Wahnes Tiesen  
Sicher oft schließen.

Zu Deiner Seiten senkt sein schön Gefieder  
Der Ruhm, der Ehre Klebling, willig nieder,  
Dir, Sohn und Eben welter Machaonen,  
Würdig zu lohnen.

Mit dieser geringen Ode bittet sich bey dem  
Hochedlen Herrn Doktoranden, seinem  
wirthgeschätzten Freunde, ein geneigtes  
Andenken aus

Peter Immanuel Hartmann, aus Halle,  
der Arzneigelahrheit Verfüssener.



Ula 4713

ULB Halle  
003 901 068

3



SV



B.I.G.



DISSESSATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE

M O L F S

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
AMPLISSIONI ORDINIS MEDICI

PRAESIDE

**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFES-  
SORE PUBLICO ORDINARIO

DECANO H. T. SPECTATISSIMO

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo  
omni honoris cultu per aetatem prosequendo

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. XVI. IVLII ANNO MDCCXLIX.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

**CAROL. LVDOVICVS IVSTVS LYSTHENIVS**

BVRGENSIS MAGDEBVRGICVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

